

HESIODIA
QUAE VOCATUR
SCUTI HERCULIS DESCRIPTIO.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
ROSTOCHIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GREGORIUS FRIDERICUS RHODE
SAXO-BORUSSUS.

VRATISLAVIAE.
TYPIS F. W. JUNGFERI.
MDCCCLXXII.

I.

De carminis Scutum Herculis inscripti auctore et origine.

Carmen Scutum Herculis inscriptum ex duabus partibus compositum est, quarum altera de Herculis genere agitur (v. 1—56), altera Herculis cum Cycno pugna narratur (v. 57—480), cui quidem parti Scuti descriptio inserta est (v. 141—318).

Ac priorem quidem carminis partem (v. 1—56) ex Catalogo Hesiodi sumptam esse, ex scholio, cuius fidem nemo unquam in dubium vocare conatus est, colligi licet[1]: «Τῆς Ἀσπίδος ἡ ἀρχὴ ἐν τῷ δ' Καταλόγῳ φέρεται μέχρι στίχων ν' καὶ ς'[2]). Catalogi autem librum quartum et Eoeas diversa non fuisse probare mihi videtur formula, qua incipit carmen, ἢ οἵη. Huc etiam illud Hesychii pertinet «Ἠοῖαι ὁ Κατάλογος Ἡσιόδου.» Sed num omnes Catalogi libri idem poëma fuerint atque Eoeae, incertum est propter varias multorum sententias. Id vero nullo modo negari potest, versus 1—56 esse Hesiodi.

Quaeramus nunc, quis alteram carminis partem scripserit et totum carmen, ut nunc habemus, composuerit.

Atque veterum scriptorum genuinum Hesiodi totum carmen habuerunt Megacles Atheniensis, Stesichorus, Apollonius Rhodius. Quorum quidem Megacles quis fuerit, prorsus ignoramus, quare Heinrichius et Lennepius Megaclidem scribendum esse cen-

---

[1]) cf. Goettl. Hesiod. carm. p. 92.

[2]) cf. Edit. Ald. et cod. Rehdig. tradunt ν' καὶ σ', quod quidem iure in ν' καὶ ς' convertit Sam. Petitus (de legg. Attic. p. 462.)

suerunt, quod nomen ex Athenaei libris sumpserunt, qui de Megaclide critico tradit[1]). Sed res incerta manebit. — Stesichori quoque nomen a Goettlingio in dubium vocatum est. Apollonius Rhodius Hesiodi esse Scutum Herculis colligit ἔκ τε τοῦ χαρακτῆρος καὶ ἐκ τοῦ τὸν Ἰόλαον ἐν τῷ Καταλόγῳ εὑρίσκειν ἡνιοχοῦντα Ἡρακλεῖ. Sed quo in libro haec verba, quae scholiasta adfert[2]), scripserit, prorsus incertum est.

At dubitavit de carminis auctore primus Aristophanes grammaticus. Cuius quidem dubitationem non ad totum carmen pertinere, id quod Goettlingius putat, sed ad alteram tantum carminis partem verba ἑτέρου τινὸς τὴν Ὁμηρικὴν ἀσπίδα μιμήσασθαι προαιρουμένου[3]) satis probare mihi videntur. Longinus versum ex Scuto adferens de auctore carminis dubitat, qui addit: «εἴγε Ἡσιόδου καὶ τὴν Ἀσπίδα θετέον[4]).» Theodosius grammaticus totum carmen Hesiodo abiudicat, quum dicat: Εἰσὶ γὰρ πολλὰ ψευδεπίγραφα τῶν βιβλίων, ὡς ἡ Ἀσπὶς Ἡσιόδου, ἥτις οὐκ ἐστιν Ἡσιόδου, ἀλλ' ἑτέρου τινός, ὃς ἐχρήσατο ἐπιγραφῇ καὶ ὀνομασίᾳ Ἡσιόδου, ἵνα τὸ ποίημα κριθῇ ἄξιον τῆς ἀναγνώσεως καὶ ἀξιοπιστίας τοῦ ποιητοῦ Ἡσιόδου[5]).

Ex veterum igitur scriptis quum quis carmen, ut nunc habemus, conscripserit intellegi non possit, videamus nunc, quid recentioris aetatis scriptores de hac re indicaverint. — Jam Josephus Scaliger[6]) Hesiodo carmen illud abiudicavit et ad Solonis et Tyrtaei tempora retulit, quem quidem secutus est Heinrichius[7]). Goettlingius Scuti descriptionem (v. 141—318) postea ab Alexandrino quodam grammatico insertam esse Herculis cum Cycno pugnae narrationi contendit, ita ut antea versus 140 et 318 coniuncti fuerint. Quod quidem nullo modo fieri potuisse Godofredus Hermannus planius ostendit[8]). Contra

---

1) XII p. 502 E.
2) Goettl. l. l. p. 92 et hui. libr. p. 4.
3) Goettl. l. l. p. 92.
4) Περὶ ὕψους IX, 5.
5) edit. Goettl. p. 54, 22.
6) Epist. ad Salm. in Opusc. var. p. 466.
7) Prolegg. ad Scut. Herc. p. XXVII.
8) Opusc. VI, p. 196.

Goettlingium Thierschius[1]) Scuti descriptionem antiquius carmen esse putat, cui postea pugnae narratio assuta sit. Rankius[2]) totum carmen Homero et Hesiodo recentius esse, attamen non post XXX. Olympiadem conscriptum esse censet. Attamen omnium quos nominavi virorum sententiae in coniecturis positae sunt.

Aliam in constituendo Scuti auctore viam ingressus est Lennepius[3]), qui quidem quum digamma in carmine paucis locis exceptis observatum esse animadvertisset, pro certo statuendum putavit, Scuti auctorem antiquissimis poëtis epicis adnumerandum esse et iis quidem, qui in Boeotia floruissent, id quod ex eo colligi posse, quod Thebae in carmine nominarentur earumque tutelaris deus Neptunus et quod Boeotica sive Aeolica forma λαγὸς (v. 302) adhiberetur. Quod quidem recte Lennepius disputasse mihi videtur. Sed eundem auctorem fuisse Scuti et Theogoniae et Operum quum ostendere sibi visus sit, ei assentiri non possum. Id sane verum est, permulta vocabula in Scuto inveniri, quae etiam in Theogonia et in Operibus adhibita sunt. Ipse Lennepius nonnulla adfert exempla; plura contulit Steitzius[4]), cui persuasum est eundem esse auctorem Scuti et Theogoniae et Operum, Hesiodum. Equidem cur aliter sentiam, causas enarrabo.

Primum mihi persuadere non possum, auctorem Theogoniae et Operum (nam duo haec poëmata ab eodem poëta, Hesiodo, conscripta esse libenter concedo) commissuram admisisse, quae est inter versum 56 et 57. — Altera, cur Hesiodum non esse auctorem Scuti contendam, haec est: Constat versus 1—56 ex Eoeis Hesiodi depromptos esse, Eoeas autem ab Hesiodo compositas esse et veteres et recentiores scriptores plerique consentiunt. Quid? Eoearum auctorem a suo ipsius carmine initium petivisse, quum aliud carmen scriberet, quis est, qui

---

[1]) De Hesiodo p. 27.

[2]) De Hesiodo p. 371.

[3]) Comment. ad Scut. Herc. p. 6 sq.

[4]) De Operum et Dierum Hesiodi compositione, forma pristina et interpolationibus. Dissert. inaug. Gottingae 1856 p. 36.

non neget? Tertia causa in ipsa altera carminis parte posita est. Nam in Herculis cum Cycno pugnae narratione tot Homericae rationis exempla inveniuntur, ut auctor omnem fere ornatum imaginumque copiam ab Homero petivisse videatur. Ipsa Herculis armatura eadem est, quae est Homericorum heroum. Immo Homerus ipse Herculem non clava armatum indutumque pelle leonina inducit, sed exstructum armis aereis[1]). Recte de hac re Heinrichius[2]): «In plurimis, inquit, Homerus quoque facem praetulerat, cuius exempla sedulo designare nostri instituti est.» Et multa illo loco eiusmodi exempla attulit Heinrichius, permulta autem Scuti auctorem, quum ipsum Herculis Scutum describeret, ex Homeri carminibus deprompsisse infra videbimus.

Ex his, quae hucusque protuli, facile intellegi potest, Scutum Herculis non modo non ab Hesiodo compositum esse, sed etiam recentius esse et Hesiodi genuinis carminibus et Homeri. Quid igitur statuendum est de carminis auctore et origine? Heinrichius conglutinatum esse carmen dicit a rhapsodo quodam, «qui (sic reddit Lennepius[3]) Heinrichii verba) quum ab alio recitatam Homeri ἀσπιδοποιΐαν magno auditorum plausu acceptam animadvertisset, inde imitandi studio accensus simili descriptione celebrandum sibi censuerit scutum Herculis, famigeratissimi tum per Graeciam herois, maxime autem Thebis; itaque recitaverit eam in ludis in ipsa Thebarum vicinia institutis, cui commodam rei experiundae occasionem praebuerint ipsae Ἠοῖαι ad certamina musica ex more adhibitae, ex quo integro poëmate decerptus locus de Alcmena et Herculis natalibus, sed non totus, verum eo tantum perductus, quo ad fabulam de pugna Herculis cum Cycno et herois πανοπλίαν splendide exornandam qualiscunque transitus esset.» Quae quidem tam ingeniose conscripta sunt, ut dissentiri a viro docto prorsus nequeat. Quod autem Lennepius ad haec verba addidit, rhapsodum illum ipsum Hesiodum fuisse, quem

---

1) cf. Hom. Odyss. λ, 605 sq. Il. ε, 392.
2) Comment. ad Scut. Herc. v. 374, p. 211.
3) Comm. ad Scut. Herc. p. 8.

πρῶτον ῥαψῳδῆσαι traditum esse antiquitus[1]) quemque ipsius testimonio[2]) ludi certamen obiisse certum esse, id refutare, operae, opinor, pretium non est.

Pro certo igitur habuerim, carmen, ut nunc habemus, a rhapsodo quodam compositum esse; hunc autem versus 1—56, ut prooemium quasi essent, ex Eoeis Hesiodi excerpsisse dubium non potest esse. Pugnae Herculis cum Cycno narrationem ab ipso consarcinatore confictam esse putaverim, qua quidem scuti Herculis descriptio, quae potissimum in causa esset, planius exornaretur. Multa vero postea a diasceuastis et librariis interpolata esse, inprimis in ea parte, qua scuti imagines depinguntur, infra suis quaeque locis demonstrabimus. Quis autem fuerit rhapsodus ille, argumenta certa, quibus probetur, desunt. Nam a Cercope Milesio, quem nonnulli putant Hesiodi carmina non multo ante Pindari aetatem collegisse[3]), Scutum Herculis compositum esse prorsus incertum est. Sed dubium non potest esse, carmen non multo post Homeri et Hesiodi tempora ortum esse, praesertim quum digamma plerisque locis observatum esse Lennepius ostenderit, de qua re supra iam diximus.

II.

De ipsa scuti Herculis descriptione (v. 141—318).

De scuti Herculis descriptione explicanda quum inter omnes, qui de ea disputaverunt, minime idem constet, priusquam id quod propositum est, explanemus, sententias de hac re usque ad hoc tempus a doctissimis viris prolatas paucis perlustremus, ut quousque, quae de ea quaestio est, processerit, intellegamus.

Atque omnium primus in scuti Herculis descriptione ex-

---

[1]) Laudat Schol. ad Pind. Nem. II.

[2]) Op. et Dier. v. 654 sq., de quibus versibus supra iam sententiam tuli.

[3]) cf. Ritschl, Alexandr. Biblioth. p. 54.

ponenda laudabilem operam posuit Schlichtegrollius[1]; qui quidem errat, quum ovatam fuisse scuti formam contendat ea opinione ductus, omnes in scuto imagines ita dispositas fuisse, ut figurae ipsae recto statu spectantium oculis incurrerent; sed rotundam sibi finxisse scuti formam auctorem Scuti infra videbimus. Neque vero recte id iudicavit Schlichtegrollius, poëtam omnia, quae describere vellet, ordine disposita in animo habuisse; qua de re infra sententiam feremus. Quamquam iam animadvertit, nonnulla ex Homeri scuti Achillei descriptione deprompta esse et plures scuti imagines cum antiquissimae artis monumentis convenire. — Heinrichius[2]) ab illo ea tantum re dissentit, quod omnes in scuto imagines ex sola poëticae descriptionis licentia aestimanda esse contendit. — Welckerus[3]) deinde demonstrare conatus est, plerasque scuti imagines ab artis antiquissimae monumentis petitas esse neque auctorem, quum scutum Herculis describeret, certam imaginum formam animo tenuisse, qui nonnulla ab Homero sumpsisset et multa protulisset, quae naturae prorsus obstarent. Imagines ita distribuit, ut draco et serpentes in media scuti area, in extrema Oceanus efficti appareant, ceterae autem imagines (duodecim nominat) mediam aream orbiculatim circumdedisse videantur. Omnes quas continet descriptio imagines retinuit, quamvis nonnulla a posterioribus addita esse recte suspicatus sit. — Godofredus Hermannus[4]) omnium primus demonstrasse sibi visus est, hanc descriptionem ab uno poëta profectam non esse, quod quidem ex eo intellegi posse, quod nec certus in enumerandis plerisque ordo esset et permulti versus repeterentur. Coniectando igitur pristinam imaginum formam restituere coepit et pro certo habendum esse statuit, duas ab initio fuisse scuti descriptiones. Atque in media et ea quidem rotunda area draconem sive φόβον positum fuisse statuit aut Perseum clavo in scuto

---

[1]) Ueber den Schild des Hercules nach der Beschreibung des Hesiodus. Gotha 1788.

[2]) Hesiodi Scutum Herculis. Vratisl. 1802.

[3]) Zeitschrift für alte Kunst. Göttingen 1818, p. 537 sq.

[4]) Opusc. VI, p. 204 sq.

affixum, Oceanum vero in utraque descriptione extremam scuti partem explevisse. Ceteras imagines ita distribuit, ut area, quae cogitanda sit inter mediam et extremam, in quatuor partes divisa expressas fuisse contendat in altera descriptione has:

Urbem obsessam : Urbem pacatam
Martem : Minervam

in altera has:

Vitam deorum beatam : Hominum opes.
Lapitharum et Centaurorum pugnam : Aprorum et leonum pugnam.

Quod quidem quamvis sagaciter Hermannus disputaverit, in sola coniectura positum est. Permulta tamen ab illo recte diiudicata esse infra videbimus, ubi de singulis plerisque sententiam feremus. — Odofredus Muellerus[1]) deinde contra Hermannum ostendere conatus est, omnia in scuti descriptione iusto ordine procedere plurimasque imagines cum antiquissimae artis operibus plane congruere. Quod quidem non ubique valere infra demonstrabimus. Scuti autem superficiem in multas areas orbiculatim dispositas divisit ita, ut in media area draconem cum duodecim serpentibus inter se implicatis positum fuisse contendat, in proxima pugnam aprorum leonumque, in tertiae latioris areae parte superiore Perseum cum Gorgonibus, conventum deorum in inferiore, in dextra Lapitharum Centaurorumque certamen, portum cum piscatore in sinistra, in quartae et eius quidem latissimae areae superiore parte urbem obsessam cum omnibus belli miseriis, urbem pacatam cum omnibus pacis artibus in inferiore, in extrema denique atque ea quidem arctissima area Oceanum. Atque hoc consilio ductus scuti imagines disposuit, ut quae terrorem adversariis inferrent, eas in superiore parte collocaret, in inferiore, quae tranquillioris argumenti essent. — Muelleri de scuti Herculis descriptione sententiam probaverunt Rankius et Lennepius.

Equidem illum de hac difficillima de scuti descriptione

---

[1]) Archäologische Vindication des Herakles-Schildes. Zeitschrift für Alterthumswissenshhaft. Jahrg. 1834, p. 882 sq.

quaestione solvenda bene meritum esse haud negaverim, sed illam imaginum dispositionem non nisi in coniectura positam esse optimo iure contenderim, quum quomodo singulae imagines exceptis media et extrema distribuendae sint, in ipsa descriptione non inveniatur. — Eam, quam in singulis describendis distinguendisque scuti imaginibus rationem adhibuerat Hermannus, iniit Lehrsius[1]). Duas imaginum partes distinxit, quarum alteram ex ipsius auctoris ingenio profectam (v. 141—236), alteram ex Homerica scuti Achillei descriptione depromptam esse (v. 237—317). Duas autem descriptionis partes ab uno poëta compositas esse negavit, quod ut faceret commotus est eo, quod prioris partis imagines simpliciter ac dilucide describuntur singularumque imaginum descriptiones formula ἐν δὲ incipiunt et id quidem versus initio, alterius autem partis imagines haud accurate pinguntur illaque formula deest, immo alia verba, ut ἐπὶ δὲ (236), παρὰ δὲ (270) adhibentur et id quidem in medio versu. Solam igitur priorem descriptionis partem genuinam ratus draconis imagine reiecta, quae ad serpentum imaginis imitationem a posteriore quodam scriptore expressa esset, quae relinquuntur, imagines ita distribuit, ut Perseum in medio positum circumdarent ceterae sic, ut binae imagines sibi opponerentur: Aprorum leonumque pugna et pugna Lapitharum Centaurorumque, Mars et Minerva, deorum chorus et portus. Oceani autem imaginem et ipsam inter genuinas enumeravit. At serpentum imaginem omisit. Serpentibus singulas areas distinctas esse Lehrsius putavit, ita ut verbis κυάνεα νῶτα (v. 167) idem significaretur atque verbis κυάνου πτύχες (v. 143). Quod quidem ex ipsius Lehrsii ingenio profectum esse luce clarius est. Totam autem hanc imaginum dispositionem ab auctore Scuti quaesitam non fuisse, illum ipsum concedere putaverim. Eo vero de describendis distinguendisque singulis scuti imaginibus optime meruit, quod satis accurate distinxit inter eas imagines, quae ex ipsius auctoris indole ortae et inter eas, quae ab Homero petitae

[1]) In censura editionis Rankianae. Jahn's «Neue Jahrbücher für Philologie und Pädagogik.» 1840. p. 269 sq.

sunt. — Rationem in quaestione de scuti Herculis descriptione solvenda a Lehrsio initam longe amplificavit Deitersius[1]) ita, ut argumenta ex veterum artis opera describendi more peteret. Atque duo genera distinxit, quorum discrimen ita brevissime significari posse, ut aut rerum imagines aut ipsae res descriptae esse dicerentur. Quo quidem discrimine ad singulas imagines explicandas adhibito Deitersius non modo non omnes scuti imagines ab uno poëta profectas esse ostendit, sed totam scuti descriptionem ex integris quinque inter se diversis et a diversis poëtis confictis descriptionibus coniunctam esse demonstrasse sibi visus est, has autem diversas descriptiones ab uno quodam consarcinatore collectas et in hanc, ut nunc habemus, formam redactas esse. Quamvis singula pleraque sagaciter et dilucide diiudicaverit Deitersius, tamen nimium operae in mutandis reiiciendisque versibus consumpsisse mihi videtur. Quod quidem infra videbimus, ubi quid de singulis quibusque imaginibus statuendum sit, explicabimus. Atque haec quidem hactenus. Videamus nunc, quid nos ipsi iudicemus de scuti Herculis descriptione.

Primum igitur dicendum est de imagine in media scuti area expressa. Atque in hac imagine tam multa et diversa cumulata sunt, ut quae pristina imaginis forma fuerit, difficile sit diiudicatu. Draco in medio positus describitur (v. 144—160), super quem Eridem volitantem auctor finxit; praeterea in hac imagine exsculpta fuisse feruntur belli numina: Προΐωξις, Παλίωξις, Ὅμαδος, Φόβος, Ἀνδροκτασίη, Ἔρις (iterum), Κύδοιμος. Quam quidem imaginem Lehrsius haud genuinam esse contendit, quod multa inutiliter addantur et nonnulla legantur, quae in serpentum imaginis descriptione repetantur; immo ad serpentum imaginis imitationem expressam esse illam putavit. Et revera nonnulla eadem in utraque imagine verba adhibita invenimus: οὔτι φατειός (144) et οὔτι φατειῶν (161), τοῦ καὶ ὀδόντων μὲν κ. τ. λ. (146) et τῶν καὶ ὀδόντων μὲν κ. τ. λ. (164), integrum praeterea versum: οἵτινες

[1]) De Hesiodia Scuti Herculis descriptione. Comm. philol. Bonnae 1858.

ἀντιβίην πόλεμον Διὸς υἷϊ φέροιεν (150 et 163). Quae quum ita sint, negari non potest, alteram alterius imitatione ortam esse imaginem; et serpentum quidem imaginem posterioris aetatis esse infra videbimus, ubi de illa sententiam feremus. Omnes autem primae imaginis versus genuini non sunt. Nam versus 156—159 ex Homero[1]) depromptos esse haud ignoramus. Versibus 151—153 de vera pugna dici apertum est, quo etiam verba κορύσσουσα κλόνον ἀνδρῶν (148) pertinent et versus 154 et 155: ἐν δὲ Προΐωξις κ. τ. λ. et ipsi versus ex Homero petiti. Sed non erat, cur poëta hoc loco de vera pugna narraret, quam infra describi comperiemus. Qua re statuendum esse mihi videtur, versus 154 et 155 quatuor Homericis versibus ab interpolatore quodam additos esse, quibus terror pugnae augeretur. Neque vero illud neglegendum est, versus 154, 155, 156 formula ἐν δὲ incipere, quam quidem formulam non nisi in nova describenda imagine auctorem adhibuisse constat; his autem versibus tres novas describi imagines prorsus negandum est. Item versus 151—153 a lectore quodam, qui de vera pugna narrari arbitraretur, interpolatos esse contenderim, ita ut verba κορύσσουσα κλόνον ἀνδρῶν non de vera pugna dicta esse putemus, sed addita esse, ut quasi Eridis epitheton ornans essent. Ab eodem illo interpolatore etiam versum 160 additum esse, quo terroris imago planius amplificaretur, non est, cur negemus. Primam igitur imaginem a versu 144 usque ad versum 150 genuinam, ceteros autem versus (151—160) posterioris aetatis esse pro certo habeamus.

Serpentum imaginem (161—167) non a primae imaginis auctore conscriptam esse iam diximus. Immo hanc imaginem posteriori tempore compositam esse quum ex eo intellegi potest, quod nonnulla repetita sunt, quae supra iam legimus, tum id haud neglegendum est, versus 166 et 167 non grammatico vinculo inter se coniunctos esse, vocem autem στίγμα (166) adhibitam esse, quam antiquiori poësi haud usitatam fuisse constat; adde molestum ilud ἐπέφαντο ἰδεῖν (166).

[1]) Hom. Iliad. 6, 534—537.

Verisimillimum igitur mihi videtur esse, huius imaginis descriptionem primae imagini adiunctam esse a posteriore quodam, cuius in animo Aeschyleam[1]) Hippomedontis scuti descriptionem versatam esse putaverim, in qua Typhoeus centimanus eumque circumeuntes serpentes effícti fuisse dicuntur.

Sequitur aprorum et leonum pugna (v. 168—177). Quam quidem imaginem quum describeret auctor, certe eius animo Homericam Herculis baltei descriptionem obversatam esse putandum est: Odyss. λ, 609 sq.:

σμερδαλέος δέ οἱ ἀμφὶ στήθεσσιν ἀορτὴρ,
χρύσεος ἦν τελαμών· ἵνα θέσκελα ἔργα τέτυκτο
ἄρκτοι τ' ἀγρότεροί τε σύες χαροποί τε λέοντες
κ. τ. λ.,

praesertim quum solo hoc loco Homerus de Herculis armis aliquid narraverit[1]). Certe autem huius imaginis descriptio genuina est. Nam quod primis descriptionis versibus (176 et 177) idem expressum est atque ultimis (168, 169), nihil offensionis habet, quod Scuti auctor hanc descriptionem Homero debet. Attamen versus 173 consideratione dignus mihi videtur esse propter vocem οὐράμενοι. Quod quidem verbum, quod Buttmannus[2]) passive positum esse contendit, hac ratione adhibitum esse a poëtis Graecis nullus alius locus ostendit. Quare Lehrsius locum sanare conatus est ita, ut v. 172—175 sic contraheret, ut duo tantum efficerentur:

ἤδη γάρ σφιν ἔκειτο μέγας λῖς, ἀμφὶ δὲ κάπροι
δοιοὶ τεθνηῶτες ὑπό βλοσυροῖσι λέουσι.

Quod quidem fieri opus non est, si cum Hermanno verbum ἀπουράμενοι medium esse censemus, ita ut non solum ad apros, sed etiam ad leonem pertineat; «qui, duo apri et leo, se invicem interemerant.» Recte si iudicavimus, post vocem δοιοὶ comma interponatur necesse est: δοιοί, ἀπουράμενοι ψυχάς, κατὰ δὲ κ. τ. λ.

---

[1]) Aprorum leonumque pugnae apud Homerum nonnullis aliis locis leguntur, ut Il. ε, 782 sq. η, 256 sq. μ, 413 sq.

[2]) Lexilog. I, p. 76.

Videamus nunc, quid de Lapitharum contra Centauros pugnae imagine nobis statuendum sit (v. 178—190). Atque huius quidem imaginis argumentum neque ab Homero petitum neque ex ipsius auctoris indole ortum est, sed ex artis operum notitia fluxit. Unum igitur ex illis artis monumentis auctoris animo obversatum est, quod ipse viderat. Cuius rei satis certum argumentum nobis praebet ingens amphora a Françoisio anno 1844 Clusii reperta[1]), in cuius collo Centaurorum contra Lapithas pugna picta est eodem fere modo, quo in scuto Herculis imaginem effictam fuisse auctor narrat. Huc accedit, quod illius amphorae figuris eadem fere nomina adscripta sunt, quae in nostra descriptione enumerantur. Eiusmodi autem vascula iam antiquissimis temporibus facta esse arca Cypseli[2]) et thronus Apollinis Amyclaei[3]) certo testimonio sunt. At ab Homero nomina illa petivit auctor Scuti. Fateor, eum nonnulla ex illius carminibus sumere potuisse. Sed Lapitharum tantum perpauca nomina cum Homericis[4]) conveniunt; Centaurorum autem fere omnia Homero ignota sunt. Atque etiam ex eo colligendum est, artis monumenta Scuti auctorem imitatum esse, quum illam imaginem describeret, quod personas ipsas argenteas, aurea autem eorum arma fuisse auctor narrat. Nam ea ratione antiquissimis temporibus istius modi monumenta facta esse Gerhardus ostendit[5]). — Jam de imaginis pristina forma pauca dicere liceat. Versum 182:

Θησέα τ' Αἰγείδην, ἐπιείκελον ἀθανάτοισιν

etiam in Homeri Il. α, 265 legimus, ubi Lapitharum nonnulli nominantur. Quare quispiam coniecerit, auctorem Scuti istum versum ab Homero sumpsisse. Immo hunc ipsum versum e Scuti descriptione illuc translatum esse recte mihi iudicasse Wolfius videtur, quem secuti sunt Heynius et Spitznerus. Versum 183:

ἀργύρεοι, χρύσεια περὶ χροῒ τεύχε' ἔχοντες

---

[1]) Gerhard, Archäologische Zeitung VIII, tab. 23, 24.
[2]) Paus. V, 19, 2.
[3]) Paus. III, 18, 7.
[4]) Il. α, 262 sq.
[5]) Etruskische Vasenbilder, tab. 13.

Ruhnkenius spurium nominavit propter versum 188:

ἀργύρεοι, χρυσέας ἐλάτας ἐν χερσὶν ἔχοντες

idemque visum est Gaisfordio, Heinrichio, Dindorfio. Attamen scholiastae omnes illum versum ut genuinum agnoverunt. Quapropter quamvis haud negem ex duorum versuum similitudine colligi posse, alterum ad alterius imitationem compositum esse, tamen illum pro genuino habeo. Nam non erat, cur auctor in describendis Centauris eorumque armis materiam nominaret, in Lapitharum autem imagine exponenda omitteret. Huc accedit, quod in eiusmodi descriptionibus similes inter se versus repeti posse permulti loci Homerici testificantur. Versum 186:

Ἄρκτον τ' Οὔρειόν τε μελαγχαίτην τε Μίμαντα

Deitersius ita immutandum esse censuit, ut μελαγχαίτης, quem Centaurum appellat Diodorus Siculus (IV, 12), nomen proprium sit, pro voce autem «Μίμαντα,» qui inter Centauros neque in artis monumentis neque apud poëtas numeratur, aliud nomen substituatur. Sed quod suspicatus est, aut τ' Ἄγριόν τε aut τὲ Λυκόν τε aut τ' Ἔλατόν τε scribendum esse, mera coniectura est. Quare verba μελαγχαίτην τε Μίμαντα retineo, ita ut μελαγχαίτην voci Μίμαντα adiunctum esse putem quasi epitheton ornans, praesertim quum haec ipsa lectio in omnibus, qui de Scuto Herculis exstant, libris inveniatur. Idem autem epitheton Nesso quoque Centauro conveniens ducit Sophocles[1]). Neque vero illud probare possum, quod Deitersius contra librorum fidem versum 181 reiiciendum censuit, ut totidem Lapithas retineret, quot Centauros. Praeterea cur totidem versibus de Lapithis, quot de Centauris, narrasse auctorem putaverit, nihil causae invenio.

Martis imago sequitur (191—196) eique respondens imago Minervae (197—200). Quas quidem duas imagines ad pugnam Lapitharum et Centaurorum pertinere, ita ut Mars in Centaurorum partibus, in partibus Lapitharum Minerva appareurit, Schlichtegrollio[2]) placuit, quem secuti sunt Welckerus[3])

[1]) Trachin. 857.
[2]) l. l. p. 61.
[3]) l. l. p. 577.

et Muellerus[1]). Lehrsius[2]) contra peculiares habendas esse has imagines propter verba ἐν δὲ v. 191 et v. 197 adhibita recte censuit. Iam si quaeramus, unde petitae sint harum imaginum descriptiones, Scuti auctorem eas Homericorum verborum recordationi debere ostendemus. Nam in ipsa scuti Achillei descriptione[3]) Mars et Minerva nominantur et id quidem in pugnae de obsidenda urbe descriptione. Praeterea coniunctos habemus Martem et Minervam Il. δ, 439; ε, 430, v. 358. Martem autem eiusque comites, qui in nostra imagine nominantur Δεῖμός τε Φόβος τε, eosdem invenimus Il. ρ, 119 sq.:

καί ρ' ἵππους κέλετο Δεῖμόν τε Φόβον τε
ζευγνύμεν, αὐτὸς (Ἄρης) δ'ἔντε' ἐδύσατο παμφανόωντα.

Quae autem de Minervae armis dicuntur, eadem copiosius enarrata legimus Il. ε, 738 sq. Huc accedit, quod utriusque descriptionis omnia fere verba ad Homeri imitationem expressa sunt, de qua re Deitersius accuratius disputavit[4]). Quod attinet ad formam, qua descriptae sunt duae imagines, certe verba προλέεσσι κελεύων (193) ὡςεὶ ζωοὺςὲ ναρίζων (194) ἱέμενοι πόλεμον καταδύμεναι ἀνδρῶν (196), ἐπὶ δ' ὤχετο φύλοπιν αἰνήν (200), quae quidem omnia ad pugnam pertinent, suspecta videri possunt, praesertim quum verae pugnae ne mentio quidem fiat. Sed haec omnia ea ratione dicta esse contenderim, qua Eridem κορύσσουσαν κλόνον ἀνδρῶν (148) nominatam esse supra demonstravimus.

Postquam inde a versu 144 usque ad versum 200 terribiles imagines descripsit auctor, a Martis et Minervae, belli numinum, imaginum descriptione satis commode transit ad iucundam imaginem deorum saltantium chori (201—206). Cuius quidem descriptionis formam haud genuinam esse primo obtutu intellegimus. Nam verbis

θεῶν δ' ἕδος ἁγνὸς Ὄλυμπος·
ἐν δ'ἀγορῇ, περὶ δ'ὄλβος ἀπείριτος ἐστεφάνωτο
ἀθανάτων ἐν ἀγῶνι

[1]) l. l. p. 622.
[2]) l. l. p. 272.
[3]) Il. 6, 516.
[4]) l. l. p. 19, not. 57.

totam imaginem prorsus divelli satis apparet. Quare Hermannus versum 202 post versum 206 scribendum et cum sequenti portus imagine coniungendum esse censuit, ita ut versu 202 et versibus 207—215 una humanarum fortunarum imago efficeretur. De quo quidem mihi non liquet. Nam fac, versum 202 et versum 207 ab auctore ipso coniunctos esse, ut placet Hermanno, unam tamen imaginem illis versibus ab auctore descriptam esse negabis, quod et versus 202 et versus 207, qui eum sequitur, verbis ἐν δὲ incipiunt, quae quidem verba ab auctore non nisi in nova quoque imagine describenda adhibita esse constat. Verba autem ἀθανάτων ἐν ἀγῶνι (205) ex versu 201: ἐν δ'ἦν ἀθανατῶν ἱερὸς χορὸς repetita esse quis est qui non videat? Atque etiam verba θεῶν δ'ἕδος ἁγνὸς Ὄλυμπος, in quibus Heinrichius iam haerebat, ita ut contra librorum fidem pro ἁγνὸς scriberet ἄγνυτ' (quod Guyetus in ᾤγνυτ' converterat), interpolata esse mihi videntur, praesertim quum neque cum iis, quae praecedunt, neque cum iis, quae sequuntur, coniungi possint. Quapropter illa verba reiicienda sunt, ita ut verba χρυσείῃ φόρμιγγι (203) statim coniungenda sint cum verbis θεοὶ δ'ἐξῆρχον ἀοιδῆς (205) sic:

203: χρυσείῃ φόρμιγγι· (205) θεοὶ δ'ἐξῆρχον ἀοιδῆς
206: Μοῦσαι κ. τ. λ.

Argumentum huius imaginis unde petitum sit, nunc liceat paucis enarrare. Atque in antiquissimis artis monumentis Apollinem et Musas cantantes effictas esse haud ignoramus, ut in arca Cypseli[1]), deorum tamen saltationem nusquam expressam invenimus. Quid igitur? Homerum nonne imitatus est auctor? Homerus scilicet in scuti Achillei descriptione circa puerum canentem ceteros saltantes inducit sic:

τοῖσιν δ' ἐν μέσσοισι πάϊς φόρμιγγι λιγείῃ
ἱμερόεν κιθάριζε· λίνον δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδεν
λεπταλέῃ φωνῇ· τοὶ δὲ ῥήσσοντες ἁμαρτῇ
μολπῇ τ' ἰυγμῷ τε ποσὶ σκαίροντες ἕποντο.

Quos quidem versus auctorem respexisse, quum istam imaginem describeret, ex eo colligi potest, quod uterque scriptor eadem fere verba (φόρμιγγι, ἱμερόεν, κιθάριζε, λεπταλέῃ

---

[1]) Paus. V, 18, 21.

φωνῇ, λιγὺ μελπομέναις) adhibuit. Deos autem quum saltantes induceret, id quod in hymno ad Apollinem (182—206) narratur, animo videtur tenuisse[1]).

Venio ad explicandam imaginem, qua portus cum delphinis aliisque piscibus describitur, in cuius ripa piscator cum iaculo sedet; quam quidem statim vides confectam esse ad imitationem Homericorum verborum, quae leguntur Il. φ, 22 sq.:

ὡς δ' ὑπὸ δελφῖνος μεγακήτεος ἰχθύες ἄλλοι
φεύγοντες πιμπλᾶσι μυχοὺς λιμένος εὐόρμου
δειδιότες· μάλα γάρ τε κατεσθίει ὅν κε λάβῃσιν,

sed ita, ut id quod de piscatore dictum est, ab imitatore ipso additum esse videatur, nisi forte putes, eum in animo habuisse, quae leguntur in Homeri Il. π, 406 sq.:

ἕλκε δὲ δουρὸς ἑλὼν ὑπὲρ ἄντυγος, ὡς ὅτε τις φὼς
πέτρῃ ἔπι προβλῆτι καθήμενος, ἱερὸν ἰχθὺν
ἐκ πόντοιο θύραζε λίνῳ καὶ ἤνοπι χαλκῷ
κ. τ. λ.

Quod Deitersius contendit, versus 213—215 subditos esse ab aliquo multo posterioris aetatis poëta, ab illo prorsus dissentio, praesertim quum argumenta, quae attulit, satis levia esse mihi videantur. Nam quod apud Antiphanem comicum[2]) versus quidam iisdem verbis ἰχθύσιν ἀμφίβληστρον incipit, quibus versus 215, idcirco putare Deitersium, versum ad Antiphanis verborum imitationem conscriptum esse a posteriore quodam, est, quod mirere. Praeterea cur dativum ἰχθύσιν (215) molestissimum esse Deitersio placuerit, non intellego. Versus autem 211 et 212 posteriore tempore additos esse contenderim a lectore quodam, qui imaginis descriptionem amplificare vellet. Quod quidem satis probare mihi videntur repetitiones molestissimae hae: v. 209: κλυζομένῳ ἴκελος et v. 211: νηχομένοις ἴκελοι, v. 210: δελφῖνες τῇ καὶ τῇ ἰθύνεον ἰχθυάοντες et v. 212: δελφῖνες ἐφοίτων (solus Diaconus scribit ἐθοίνων) ἔλλοπας ἰχθῦς.

---

[1]) Pindar. Olymp. XVI, 11 sq.:
οὐ δὲ γὰρ θεοὶ σεμνᾶν χαρίτων ἄτερ
κοιρανέοισιν χοροὺς οὔτε δαῖτας· κ. τ. λ.

[2]) Fragm. 109 edit. Meineke.

Sed quum lectio ἐφοίτων (v. 212) in omnibus, qui de Scuto Herculis exstant, libris tradita sit, recte Deitersius pro ἰθύνεον (210) substituisse mihi videtur ἐφοίτων. Item loco verborum δελφῖνες τῇ καὶ τῇ (210) ab initio verba ἀργύρεοι δελφῖνες posita fuisse ille recte iudicavit, ita ut versus 210 talis efficiatur:

ἀργύρεοι δελφῖνες ἐφοίτων ἰχθυάοντες.

Genuinam igitur imaginem habemus versibus 207, 208, 209, 210 (illa ratione mutata), 213, 214, 215 expressam.

Sequitur Persei festinantis eumque persequentium Gorgonum imago, quam quum describeret auctor, artis monumenta, quae ipse vidisset, ei in animo versata esse et Muellerus[1]) et Deitersius[2]) certis argumentis demonstraverunt, quibus graviora addere non possim. Attamen de diiudicanda huius imaginis descriptione alii aliter senserunt. Atque omnium maxime haeserunt docti homines in versibus 217—219. Quos quidem versus Schlichtegrollius haud inepte ita explicavit, ut corpus Persei quamvis exstans cum scuto cohaesisse putet, pedes autem a clipeo liberos fuisse ut in opere anaglypho. Hermannus Perseum clava ad scuti fundum affixum fuisse censet. Rectissime autem Muellerus de ea re mihi videtur iudicasse, qui illis verbis auctorem mirum opus a Vulcano factum dicere voluisse censuit, quod humanus artifex perficere non posset, et ob eam ipsam causam v. 219 Vulcani ipsius mentionem factam esse. Huic enim verborum explicationi verba ὁ δ' ὥστε νόημ' ἐποτᾶτο (222) prorsus conveniunt. Quamquam haec ipsa verba, quia Persei amictus descriptioni inconcinne inserta sunt, in dubium vocari possunt. Sed uncis includenda esse haec verba censeo, ita ut quasi extra imaginis descriptionem posita esse videantur, ideoque descriptio Persei amictus non vere intermittatur. Quod vero Deitersius reiectis versibus 217—219 genuinam imaginem quatuor versibus terminatam fuisse ostendere sibi visus est his:

216 ἐν δ'ἦν ἠϋκόμου Δανάης τέκος, ἱππότα Περσεύς.
220 χρύσεος· ἀμφὶ δὲ ποσσὶν ἔχε πτερόεντα πέδιλα.

---

[1]) l. l. p. 625.
[2]) l. l. p. 25 sq.

221 ὤμοισιν δέ μιν ἀμφὶ μελάνδετον ἆορ ἔκειτο
222 χάλκεον ἐκ τελαμῶνος· ὁ δ' ὥστε νόημ' ἐποτᾶτο,

cetera autem inde a versu 224 (ἀμφὶ δέ κ. τ. λ.), (versum enim 223 et verbum Γοργοῦς (228) eiecit) usque ad finem v. 228, quem ita scribendum esse statuit:

ἔπτατο δὲ σπεύδοντι καὶ ἐρρίγοντι ἐοικώς,

ex altera imaginis recensione, quam hanc fuisse vult:

216 ἐν δ'ἦν ἠϋκόμου Δανάης τέκος, ἱππότα Περσεύς
χρύσεος (220)· ἀμφὶ δέ μιν (224) κ. τ. λ.

usque ad finem versus 228 genuinae imaginis descriptioni adsuta esse, equidem cur istud probem, non habeo. Immo versus 216—228 genuinos habeo nec quidquam immutandum censeo nisi αὐτος δὲ (228) in αὐτὸς μὲν propter ταὶ δὲ (229). De versu autem 229 dubitari potest propter productam primam syllabam vocis Δαναΐδης. Sed quum huiusmodi alia exempla et ea quidem imprimis ex Homero petere liceat, ut Il. β, 337: ἀγοράασθε, ε, 763: ἀποδίωμαι, ε, 46: ἀπονέεσθαι, alia, auctorem de industria illam syllabam produxisse putandum est. Aliter autem statuendum est de Gorgonum descriptione. Verba enim ἐπὶ δὲ χλωροῦ (231) usque ad verba ὀξέα καὶ λιγέως (233) statim vides ab imaginis descriptione prorsus discrepare. Quare cum Bernhardyo illa reiicienda esse censeo. Atque etiam ea, quae inde a verbis ἐπὶ δὲ ζώνῃσι (233) usque ad versum 236 de draconibus dicuntur, a posteriore quodam, qui imaginis terrorem augere vellet, adsuta esse contenderim, praesertim quum Gorgones dracones in zonis habentes non nisi hoc loco inveniantur. Huc adde, quod verba ἐπὶ δὲ saepius repetita sunt (231, 233, 236) et vox ἀπῃωρεῦντο (234) desumpta est ex versu 225, ubi legitur κατῃωρεῦντο. Eorum igitur, quae de Gorgonibus proferuntur, haec tantum genuina retinemus:

229 ταὶ δὲ μετ' αὐτὸν
230 Γοργόνες ἄπλητοι καὶ οὐ φαταὶ ἐρρώοντο
231 ἱέμεναι μαπέειν· (236) ἐπὶ δὲ δείνοισι κ. τ. λ.

Iam si quaeramus, cur hanc Persei Gorgonumque imaginem, cuius neque cum praecedenti neque cum sequenti imagine ulla coniunctio est, ceteris inseruit auctor, Heinrichium haud incallide iudicasse putaverim, quum contenderet, Persei imaginem inter ceteras scuti imagines numeratam esse ab auctore,

qua Herculis genus celebraretur, cuius proavus Perseus esset. Et re vera huius rei exempla ab aliis petere licet. Sic Apollonius Rhodius[1]) Iasonis laenae Phrixum cum ariete intextum fuisse narrat propter generis cognationem. Gravissimum autem istius rei argumentum praebet Vergilii clipei Aeneae descriptio, in qua ad Aeneae stirpem splendidissime celebrandam Romanorum historiae haud levissima momenta inde a Romuli et Remi natalitiis usque ad Augusti post Actiacam pugnam triumphum exsculpta enarrantur. In Homerica vero scuti Achillei descriptione huiusmodi res non inveniuntur neque Persei imago cum ulla Homerica comparari potest, nisi forte coniicias, Scuti Herculis auctorem Homericorum verborum, quae leguntur Il. β, 443: τῆς ἑκατὸν θύσανοι παγχρύσεοι ἠερέθονται recordatum esse, quum scriberet v. 225:

θύσανοι δὲ κατηωρεῦντο φαεινοὶ χρύσειοι.

Imaginum, quas hucusque consideravimus, unamquamque formula ἐν δὲ incipere et id quidem versus initio vidimus. Quae quidem regula inde a versu 236 non iam adhibita est, immo duarum urbium quae sequuntur imaginum altera verbis ἐπὶ δὲ (236), παρὰ δὲ (270) altera inchoatur; adde huc, quod omnia fere quae sequuntur, quamvis ex Homeri scuti Achillei accurata descriptione deprompta sint, minus diligenter descripta sunt. Cuius quidem rei causa inde petenda esse mihi videtur, quod ad ea, quae de Homericis sumpsit, nonnulla ex suo ipsius ingenio addidit ordinemque imaginum Homericarum prorsus immutavit.

Primum igitur consideremus urbis obsessae imaginem (236—270), quae quidem eo maxime differt ab Homerica pugna de obsidenda urbe, quod Homerus causis, quibus commoti sint duo exercitus, ut pugnam inirent, allatis totam descriptionem temporis decursu aliquo ad finem producit, auctor autem Scuti Herculis statim ab initio in pugnam nos inducit et illis, quae ab Homero petiit, multa et ea quidem sine certo ordine addit, quibus quam maximi belli terrores efficiantur. Atque ad Homericorum verborum imitationem expressa sunt,

[1]) I, 763.

quae leguntur v. 237—248, sed ita ut quatuor versibus (237—240) quomodo pugnatum sit, enarretur, quod quidem ab Homero multo copiosius exponitur, contra de clamantibus mulieribus senibusque precantibus octo versibus (241—248) ea reddantur, quae Homerus duobus versibus (514 et 515) comprehendit. Ex qua quidem comparatione iam intellegis, male imitatum esse Scuti auctorem Homericam descriptionem. In versu autem 245 iure haeremus propter varias librorum lectiones; nam codex Parisinus habet: γήρᾳ τε μέμαρται, editiones Aldina et Iuntina: γῆράς τ' ἐμέμαρπτον, ceteri libri: γῆρας τε μέμαρπον. Atque Hermannus scribit γῆράς τε μεμάρπει = οὕς τε γῆρας μεμάρπει. Goettlingius coniicit: γήρᾳ τ' ἐμεμαρπτο, ut schema Boeoticum quod appellat adhibitum esse putet, de qua quidem re incerta quaestio est. Lennepius traditam lectionem retinet: γῆράς τε μέμαρπον, quae verba interpretatur haud male «qui senectutem attigerunt.» Equidem lectionem: γῆράς τ' ἐμέμαρπτον, quae invenitur in editionibus Aldina et Iuntina, retinuerim. Item de imaginis initio dubitare licet. Nam certe mirum est, quod super Gorgonum capitibus pugna committi dicitur, praesertim quum, in qua scuti parte illae expressae fuerint, nihil proferatur. Aliter hanc cum Persei imagine coniunctam fuisse quispiam coniecerit. Quae autem fuerit ista coniunctio, pro certo dici non potest, quoniam ex libris, quomodo haec difficultas tolli possit, nihil petere licet. Praeterea verba χάλκεον ὀξὺ βόων (243) suspecta videntur, quare cum Hermanno χαλκέων exciso commate post πύργων scribendum esse censeo.

Iam si de altera imaginis parte (248—270), qua de belli numinibus in pugna praesentibus agitur, iudicium feramus, omnium, quae in ea leguntur, nihil apud Homerum invenimus, nisi forte existimes, Κηρῶν descriptionem ab illo petitam esse, qui tamen de una tantum Κῆρι loquitur (535—538) et id quidem satis dilucide et commode, immo tam multa et inter se diversa sic inconcinne coniuncta esse intellegemus, ut quaenam genuina sint dictu sit difficillimum. Atque in Κηρῶν descriptione quum haerere possimus, quod ea non statim post occisorum hominum commemorationem posita est, id quod fieri videmus apud Homerum 534 sq.:

βάλλον δ' ἀλλήλους χαλκήρεσιν ἐγχείῃσιν
ἐν δ' Ἔρις, ἐν δὲ Κυδοιμὸς ὁμίλεον, ἐν δ' ὀλοὴ Κήρ. κ. τ. λ.,
tum δῆριν ἔχον (251) post μάχην ἔχον et πίπτοντα (253) post πιπτόντων (251) non commode repetita sunt. Huc accedit, quod v. 255 Tartari mentio fit, ita ut idem significet quod Hades, quod quidem fieri non posse Heinrichius planius ostendit[1]. Praeterea verba Τάρταρον ἐς κρυόενθ' post verba ψυχὴν δ' Ἀϊδόσδε καθίει[2] prorsus omitti posse luce clarius est. Gravissimum vero, quo probetur, iure dubitari posse de Κηρῶν descriptione, argumentum praebent singulares formae μεμάρποι[3] (253) et βάλλε (254) adhibitae inter plurales ἵεντο (251) et ἀρέσαντο (255). Genuinam igitur Κηρῶν descriptionem cur habeam, non intellego. Neque vero aliter iudicandum est de Parcarum descriptione (258—260). Cuius rei argumentum inde petere licet, quod versus 258 cum eo qui praecedit versu grammatico vinculo coniunctus non est; quapropter nonnulli interpretes tres de Parcis versus (258—260) interpolatos esse censuerunt, ita ut versus 261—263 Κηρῶν descriptioni adiungendi essent. Quod quidem mihi non liquet, praesertim quum verba ἀμφὶ ἑνὶ φωτὶ μάχην δριμεῖαν ἔθεντο quasi e Parcarum propria natura prodeant, quamvis mirum videri possit, Parcas secum pugnantes dici, quae ab aliis poëtis concordes vocantur[4]. Sed is, qui has deas in pugna praesentes fecit, certe non concordes eas inducere debuit; adde, quod non nisi hoc loco illae in bello praesentes introductae sunt. Praeter ea, quae dixi, in forma, qua Parcarum imago descripta est, offendere possumus. Nam vox ὑφήσσων (258) nisi hoc loco nunquam invenitur, verba autem μάχην δριμεῖαν ἔθεντο ex versu 412 sumpta esse videntur, qui versus certe genuinus habendus

---

[1] l. l. praefat. p. LIX.

[2] Sic pro vulgari ψυχὴ δ' Ἀϊδόσδε κατεῖεν cum Hermanno scribendum esse putarem, si versum retinerem, praesertim quum nonnullae editiones hanc lectionem praebeant. At forma κατεῖεν non nisi hoc loco invenitur.

[3] ὃν δὲ πρῶτόν γε μεμάρποι cum Deitersio scribendum esse censeo cf. Deit. l. l. p. 37 not. 92.

[4] Vergil. Eclog. IV, 47:

Concordes stabili fatorum numine Parcae.

est. Praeterea versus 263 et propter coniuncta verba ὄνυχας χεῖράς τε θρασείας et propter vocem ἰσώσαντο, quae explicari non potest, spurius habendus est. Κηρῶν igitur Parcarumque descriptiones interpolatas esse constat neque ab eodem scriptore genuinae imagini adiunctas esse negaverim propter rerum similitudinem.

Achlyis vero (quo vocabulo imaginem significari recte ostendit Deitersius collectis nonnullis ex Homero exemplis[1]) descriptio Κηρῶν Parcarumque descriptioni adsuta mihi videtur esse ab interpolatore, qua lectori quam maximum belli taedium et fastidium moveretur. Nam quum tam multa Achlyis epitheta et ea quidem deterrima (ἐπισμυγέρη, αἰνή, χλωρή, ἀϋσταλέη, λιμῷ καταπεπτηυῖα, γουνοπαχής) suspecta videntur, tum maxime offendimus in versu 267:

τῆς ἐν μὲν ῥινῶν μύζαι ῥέον,

quae quidem verba Scuti auctore prorsus indigna esse propter turpissimam verborum obscoenitatem, dubium non potest esse; huc adde, quod etiam veteres iam in iis haeserunt[2]). Item iure reprehendit istum versum Lessingius[3]). Goettlingius vero pergraviter vituperandus est, qui quum illum versum retinere vellet, eum bene convenire verbis δάκρυσι μυδαλέη (270) censuit dicens: «Iis, qui vehementer lacrimas effundunt, nares quoque humere solent[4]).» Nam non modo non commode sordidis imaginibus postremo lacrimae adduntur, sed ne cohaerent quidem verba δάκρυσι μυδαλέη cum praecedentibus, quum grammaticum ullum vinculum desit. Achlyis vero imaginem non ab eodem compositam esse, quem Κηρῶν Parcarumque descriptiones adseruisse nobis visum est, ex iis, quae dixi, satis intellegi posse putaverim. Genuinam igitur urbis obsessae imaginem retinuimus versus tantum 236—248 comprehendentem, quos ad Homericorum verborum imitationem conscriptos esse demonstravimus.

---

[1]) l. l. p. 37 not. 94.
[2]) cf. Longin. Περὶ ὕψους IX., 26.
[3]) Laokoon.
[4]) l. l. p. 117 not. ad hunc locum.

Pacatae urbis imago sequitur (270—313), in qua describenda Scuti auctorem imitatorem Homeri fuisse supra iam diximus. Sed Homerus simpliciter et distincte, quae in urbe pacata accidunt, exponit: altera enim parte nuptias describit summa hilaritate celebratas, altera populum in forum convocatum inducit, ubi de duorum civium litibus a senibus iudicium feratur, quorum qui optime iudicaverit, ei duo talenta tradantur. Contra in scuti Herculis pacatae urbis descriptione quum item ut in alterius urbis descriptione nonnulla ex Homericae pacatae urbis imagine sumpta, cetera autem partim ex aliarum scuti Achillei imaginum descriptionibus petita partim ab Homero aliena sint, tam variis imaginibus exornata est, ut quomodo singulae partes ad unam imaginem coniungendae sint, quaestio sit difficillima. Huc accedit, quod Homerus ea sola narrat, quae in urbe ipsa accidunt, in scuti Herculis autem imagine et quae intra urbem et quae extra fiunt describuntur. Sed iam singula videamus. Atque ex Homeri urbis pacatae descriptione auctor Scuti solam priorem partem, qua nuptiae describuntur, deprompsit, id quod ex ipsis plerisque verbis ab utroque scriptore adhibitis satis probari potest. Sic v. 274:

ἦγοντ' ἀνδρὶ γυναῖκα, πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει

simillimus est Homerico (493):

ἠγίνεον ἀνὰ ἄστυ, πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει.

In versu 275 leguntur: αἰθομένων δαΐδων, et apud Homerum: δαΐδων ὕπο λαμπομενάων, item φόρμιγγες (280) et apud Homerum (492). In qua quidem nuptiarum descriptione id animadvertendum est, quod χοροὶ (277) et χορὸν (280) repetita sunt ex versu 272 et versibus 278 et 279 idem exprimitur, quod verbis πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει (274). Huic ab Homero petitae imagini additur brevis commissationis narratio (281—284), quae quidem satis suspecta videri potest. Nam primo obtutu offendis in versuum 282 et 283 similitudine nec non in versu 283 propter verba ὑπ' αὐλητῆρι ex verbis ὑπ' αὐλοῦ (281) repetita; huc accedit, quod verbum κωμάζειν (281) apud epicos antiquae aetatis poëtas non invenitur[1]). Quapropter versus

[1]) cf. Heinr. praefat. ad Scut. Herc. p. LIX.

281, 282, 283 additos esse contenderim a posteriore quodam, qui nuptiarum imaginem augere vellet, nec negaverim eundem ipsum versus 277—280 composuisse. Nam iure de iis dubitari potest, quod χοροὶ (277) et χορὸν (280) repetita esse videntur ex versu 272 et versibus 278 et 279 idem expressum est atque verbis πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει. Huc adde, quod verba πρόσθ' ἔκιον v. 277 et v. 284 leguntur. Neque vero illud neglegendum est, ὑπὸ in versu 281 cum genetivo, in versibus autem 282 et 283 cum dativo coniunctum esse. Versuum igitur 270—285 genuinos esse contenderim tantum 270—276 et 284 et 285, ita ut nuptiarum descriptio sic finiatur:

276: χερσὶν ἔνι δμώων· ταὶ δ' ἀγλαΐῃ τεθαλυῖαι
284: πρόσθ' ἔκιον· πᾶσαν δὲ πόλιν θαλίαι τε
285: ἀγλαΐαι τ' εἶχον. κ. τ. λ.

Quae quidem haud male inter se coniuncta esse statim vides. At verba πᾶσαν δὲ πόλιν θαλίαι τε χοροί τε (284) ἀγλαΐαι τ' εἶχον (285) non commode dicuntur post verba τοὶ δ' ἄνδρες ἐν ἀγλαΐαις τε χοροῖς τε (272). At ea de causa hoc loco posita sunt, ut oppositio efficeretur inter ea, quae intra urbem acciderent, et inter ea, quae extra fierent. Atque quae v. 286 de equitatu dicuntur, certe posterioris temporis sunt, praesertim quum nisi hoc loco ab antiquae aetatis poëtarum nullo veteres equitare, immo curribus vehi solitos esse tradatur. Quapropter hunc versum reiiciendum esse puto, ita ut versus 287 statim sequatur versum 285. Nam verba οἱ δ' ἀροτῆρες omitti possunt propter ipsam vocem ἤρεικον (287).

Quae inde a versu 287 usque ad versum 301 describuntur imagines segetis, messis, vindemiae, ex Homeri scuti Achillei descriptione depromptae sunt, ubi tamen unaquaeque earum propriam imaginem efficit (segetis imago 541—549, messis 550—560, vindemiae 561—572). Segetis igitur et messis imagines in hac quoque descriptione accurate redduntur plerisque ipsis verbis ab Homero petitis. Vindemiae autem descriptioni multa posteriore tempore adsuta esse inter doctos homines dubitatio est nulla. Quapropter versus 296—300 recte uncis inclusisse mihi videntur propter multas et eas quidem ineptas repetitiones. Ad quos quidem versus equidem etiam versum 295 adiunctum velim propter vocem βριθομένων

repetitam ex versu 290 et propter huius ipsius verbi aliam alio loco constructionem, ita ut versibus 293 et 294 statim adserendus sit versus 301 sic:

293: οἱ δ' αὖτ' ἐς ταλάρους ἐφόρευν ὑπὸ τρυγητήρων
294: λευκοὺς καὶ μέλανας βότρυας μεγάλων ἀπὸ ὄρχων.
301: οἵγε μὲν ἐτράπεον κ. τ. λ.

Quae inde a versu 301 usque ad versum 313 narrantur, ab Homero prorsus aliena sunt: versibus 301 et 302 (οἱ δ' ἐμάχοντο πύξ τε καὶ ἑλκηδόν) luctatio et pugilatus describuntur, versibus 302—304 venatio, versibus 305—313 curruum certamen. Atque haec omnia commode vindemiae descriptioni addita esse, quod ipsa vindemiae lascinia pugilandi luctandique occasionem dare posset et leporum venatio in ipsum vindemiae tempus incideret, Lennepius contendit[1]). Quod quidem mihi non liquet. Nam fac luctationem et pugilatum decere vindemiam, venationem tamen nullo modo cum vindemia cohaerere posse concedes. An putas veteres auctumno tantum feras agitare solitos esse? Neque vero Welckerus[2]) recte iudicavit, segetis, messis, vindemiae, pugilatus luctationisque et venationis curruumque certaminis imaginibus quatuor anni tempora significari. Segetem scilicet ad vernum tempus, ad aestivum messem, vindemiam ad auctumnum pertinere posse haud nego. Sed sola hieme veteres luctandi pugilandique studio et venationi, nedum curruum certamini deditos fuisse non est, unde argumentum petam, quo probetur. Immo ut quam maxime pacatae urbis imago amplificaretur, illa oblectamenta, quae in otio fervere scimus, illis ad Homericorum verborum imitationem expressis imaginibus adnexa esse contenderim et ea quidem sine certo ordine. Nam pugilatus et luctatio et curruum certamen, quae omnia inter se simillima sunt, concinne inter se coniungenda erant, ita ut venatio in fine imaginis poneretur. Atque etiam in eo offendimus, quod curruum certamen copiosius enarratur, pugilatus autem et luctationis singulis tantum verbis mentio fit.

---

[1]) Comment. ad Hesiod. Scut. p. 84.
[2]) l. l. p. 578 sq.

Iam quum tam multas et inter se diversas res in pacatae urbis imagine cumulatas esse viderimus, ab uno eodemque poëta ista omnia conscripta esse vix concedere possumus, praesertim quum permulta prorsus incommode dicta nec satis concinne coniuncta esse demonstraverimus. Quare contendere ausim, genuinam urbis pacatae descriptionem ab initio multo breviorem fuisse nec negem ab ipso illo interpolatore amplificatam esse, quem Κηρῶν Parcarumque descriptiones obsessae urbis imagini adnexuisse supra nobis visum est. Verisimillimum igitur mihi videtur esse, eam solam partem ab ipso Scuti auctore conscriptam esse, quam ex Homerica scuti Achillei descriptione sumptam esse ostendimus, ita ut de utriusque urbis descriptione idem statuatur. — Quae quidem si recte disputata sunt, quomodo genuinae urbium descriptiones coniunctae fuerint, ut statuamus relinquitur. Verba igitur παρὰ δ' εὔπυργος πόλις ἀνδρῶν (270) statim coniungenda sunt cum verbis δειδιότες· τοὶ δ' αὖτε μάχην ἔχον (248). Haec autem omnia verba non ita coniungi possunt, ut unus tantum versus efficiatur. Quapropter praesertim quum verba τοὶ δ' αὖτε μάχην ἔχον idcirco omitti possint, quod αἱ δὲ μετ' αὐτοὺς κ. τ. λ. reiecta sunt, ita scribere ausim, ut voci δειδιότες adverbio δεινὸν (quae vox ab interpolatore propter vocem δεινωποὶ (250) facile neglegi poterat) addito hunc versum efficiam:

δεινὸν δειδιότες· παρὰ δ' εὔπυργος πόλις ἀνδρῶν.

Restat, ut de omnium postrema Oceani imagine pauca dicam. Quam quidem Homero deberi certum est. Sed Homerus breviter et distincte Oceani imaginem describit formula ἐν δὲ ut in ceteris imaginibus describendis adhibita: v. 607 et 608:

Ἐν δ' ἐτίθει ποταμοῖο μέγα σθένος Ὠκεανοῖο,
ἄντυγα πὰρ πυμάτην σάκεος πύκα ποιητοῖο.

Contra qui Herculis scuti marginem circumdedisse dicitur Oceani descriptio prorsus incommode aucta esse mihi videtur olorum canentium descriptione. Quare coniicere ausim, genuinam imaginis descriptionem unum tantum versum 314:

ἀμφὶ δ' ἴτυν ῥέεν Ὠκεανὸς πλήθοντι ἐοικώς

comprehendisse. Verba enim πᾶν δὲ συνεῖχε σάκος πολυδαίδαλον (315) omitti posse satis apparet, quod iis idem fere dictum est atque verbis ἀμφὶ δ' ἴτυν ῥέεν. Versus igitur 315—317

ab eodem interpolatore genuino versui 314 additos esse contenderim, quem duarum urbium descriptiones amplificasse supra suspicati sumus. Quod autem imaginis descriptio verbis ἀμφὶ δὲ incipit, non est, cur id nobis offensioni sit, praesertim quum inde a versu 236 auctorem iam a certa formula ἐν δὲ decessisse haud ignoremus.

Haec omnia, quae protuli, si recte disputata sunt, Herculis scuti undecim imaginum descriptionem genuinam accepimus harum:

I. Draconis (144—150);
II. Aprorum leonumque pugnae (168—177);
III. Lapitharum et Centaurorum pugnae (178—190);
IV. Martis (191—196);
V. Minervae (197—200);
VI. Deorum saltantium chori (201—206) exceptis scilicet iis, quae inde a verbis θεῶν δ' ἕδος (204) usque ad verba ἀθανάτων ἐν ἀγῶνι (205) leguntur;
VII. Portus (207—210 et 213—215);
VIII. Persei festinantis eumque persequentium Gorgonum (216—231);
IX. Urbis obsessae (236—248);
X. Urbis pacatae (270—276 et 284—285 et 287—294);
XI. Oceani (314).

Has igitur omnes imagines ab eodem rhapsodo confectas esse putandum est, quem totum carmen Scutum Herculis inscriptum composuisse supra suspicati sumus, ea autem, quae reiicienda esse ostendimus, posteriore tempore genuinae descriptioni addita esse, quibus singulae imagines amplificarentur. Rhapsodum autem quum illas imagines describeret Homeri scuti Achillei descriptionem imitatum esse ab eoque multa petivisse, satis ut opinor demonstratum est. Immo Scuti Herculis imaginum numerus fere congruit cum Homerico; nam ab Homero decem imagines describuntur, in scuti Herculis descriptione undecim enumerantur. Id vero constat, multo aptius et accuratius scutum Achillis descriptum esse, quam Herculis.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 048 502 6


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 048 502 6